



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Lucae Pinelli Societatis Jesu Theologi, De  
Perfectione Religiosa, Et Obligatione, Qvam Qvisqve  
Religiosus ad eam consequendam habet. Libri Quatvor**

**Pinelli, Luca**

**Mogvntiae, 1604**

Liber Qvartvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46699)



LIBER QVARTVS.  
DE PERFECTIONE  
RELIGIOSA.

In quo agitur de actionibus spiritualibus religiosi, ex quibus intelligi potest quantos progressus in perfectione comparanda fecerit.

*Religiosum non debere grauiter ferre, si ab aliis contemnatur.*

CAPVT I.



**I**Ll, cur tantoperè affligentis & turbaris, quando animaduertis te apud alios nō magni fieri? qua de causa tanto studio aucuparis honorem & nominis existimationem? Ingressusne es religionem, vt in magno precio eses apud alios, an potiùs vt securiùs ad vitā æternam peruenires? Mundonē renuncia-  
sti, vt placeres hominibus, an verò vt seruires & placeres mihi? Si renuncia-  
sti, vt mihi placeres, quid tua interest, si nullo loco sis  
Z s apud

*Gal. I.*

apud alios? An arbitraris hac opinione vel impediri animæ tuæ salutem, aut cultû diuinum, quem mihi impendere voluisti? Nequaquam certè. Si quippiam reformidandû esset, id verèdû foret, ne existimatio humana tibi perniciem afferret, cû dicat Apostolus. Si adhuc placeret hominibus, se seruum Dei non futurû. Fili, si benè perpendas; qui non magni te facit, est tibi admodum utilis, quia iuuat te, vt separeris à mundo, & ad me vitæ æternæ collatorem per fugium habeas. Qui te in delitiis habet & collaudat, viam ad salutē tibi præcludit. Et idcirco antiqui mei serui, qui in suis religionibus olim flouruerunt, exultabant, si quando ab aliis contemnebantur; contra verò dolebant, si plus æquo extollerentur. Atque idem hodiè faciunt omnes religiosi, qui verò spiritu præditi sunt. Qui in exilio degit, parui facere debet alios, modo in gratia & fauore illius existat, à quo iuuari potest.

PRIMA elementa à religioso ediscenda sunt hæc. Se contemnere, optare non magni fieri ab aliis, seipsum abnegare, indignum se quacunque laude reputare, facere benè, & tractari malè. Citra horum elementorum praxin nullus religiosus in disciplina spiritali progressum facere potest.

Itaque

Itaque si post annos aliquot in religione exactos, adhuc aucuparis honores, & magni nominis existimationem signū est, te nondum primis elementis, quæ in religionis schola traduntur, imbutum, qua ratione ergo procedes in spiritu? Quid mirum te contristari, quando honor tibi non deferretur? Si vis animo omnem mœrorem eximere, incipe ex animo te ipse nihili æstimare: quia qui semel se contempserit, nullum sentiet ex aliorum contemptu fastidium. Quo opinionem de te maiorem habes, hoc excruciabere amplius, quando ab aliis debitus tibi honor non deferretur.

Dic mihi, nonnè peius est contemptum esse, quàm non esse in precio habitum? & nonnè maiore pudore suffunditur, qui de decorè afficitur, quàm qui debito honore spoliatur? Sic est profectò. Tu non sis magno in precio fortè habitus: at ego sum ab aliis despectus & irrisus, Tibi honor debitus detractus sit: ego autem, caput tuum, pro te summa ignominia exceptus sum. Tu fortè ab hostibus tuis humaniter acceptus non sis: at ego malè tractatus sum etiam ab iis, in quos multa contuleram beneficia. Quod si ego Dominus, Caput & Magister tuus patienter tãtas iniurias iniustè illatas sustinui,

cur tu animo deiiceris, si quando non tantus, quantum optares, honor tibi defertur? Visne superior esse tuo Domino & Magistro? Conuenirene tibi videtur vt sub capite spinoso & ignominiosè tractato, membra lateant delicata & honorificè tractata? Quo quis amplius reuult contemni, hoc suo Domino dissimilior est, quique non dat operam, vt sit ei similis in terra, non habebit cum eo partem in cælo.

HONOR est virtutis præmium. Si vis honore affici, necesse est, te esse virtute præditum; alioquin optares tibi deferri, quod tibi non debetur, & qui deferret potiùs adulator tuus foret, quàm laudator. Quæ verò virtus in te est, ob quam existimas te laude & veneratione dignum? Vera virtus abesse non potest ab humilitate, quæ omnium religiosarum virtutum est fundamentum. Si humilitas in te ergò non sit, multò minus erit vera virtus. Si autem inest tibi humilitas, & verè sis humilis, quomodo fieri potest vt cupidus sis honoris, cum humilitatis proprium sit fugere honores, laudesque humanas? Qui humilitatem colit, desiderat ab omnibus sperni, & gaudet se in precio non haberi. Deindè, quod illustre facinus designasti, vndè tantam nominis famam venari  
potu-

potuisti? Vel certè, quid amore mei perpe-  
sus es, vt remuneratione mea dignus sis in  
hac vita? Certè nec dum profudisti sangui-  
nem pro me. nec in vincula coniectus es,  
non per vias ignominiosè tractus, non in  
crucem actus, sicut ego pro causa tua. Atq;  
vt omnia hæc perpeffus fuisses propter me,  
tamen gratiæ meæ præsidio indiguiffes, si-  
ne qua nihil boni fieri potest, atque ita laus  
omnis in me potiùs, quàm in te redundaf-  
set. Verum esto, feceris multa opera præmio  
digna; putasnè tu consultum talia præsta-  
re vt illa remunerentur humano honore in  
hac vita, hoc est, vilissimo precio, si confe-  
ratur cum diuinis honoribus in cælo para-  
tis? Qui operum bonorum, quæ facit, lau-  
dem quærit in hac vita, nullam habet expe-  
ctare mercedem in altera.

FILII, nunquam curabere hoc malo, si  
causam eius non inueneris. Causa proxima  
est, magna de se opinio, vndè persuades  
tibi te esse honore dignum, magnaque te  
afficere iniuria, qui eam opinionem de te  
non habuerit. Atque hinc est dolor quem  
sentis, quando alij non te magni faciunt.  
Sed expendamus rogo, quid tandem in te  
sit tuum, vnde promerearis honores & titu-  
los? Primum enim quicquid habes, à me  
accepi-

accepisti, atque ego idem conseruo, & si minimo momento manum meam subtraherem, redigereris in nihilum. Si quicquid boni tibi inest meum est, certè & honor omnium debetur mihi, non tibi. miseriæ autem & imperfectiones, ac peccata sunt tua, ob quæ an laude dignus sis, & non potiùs dedecore, tu videris. O quàm multi religiosi falluntur existimatione quam de se habent, eiusque volunt esse iudices & arbitri. Dum enim iudicant se honore dignos, & tamen animaduertunt se neque apud Superiores, neque apud alios magnam collegisse nominis existimationem, vehementer anguntur & tristantur. Qui fundamentum malè collocat, peius superædificat. Fili, nondum benè cognoscis te ipsum, & ideò bonus iudex esse non potes, nec rectè de te iudicare. Si benè te cognosceres, tam fragili fundamento non tam magnificum ædificium imponeres. Vt aliquis laudibus celebretur, & in magna veneratione habeatur, necesse est vt opinio & existimatio prius non in honorandi, sed honorantium mente de eius excellentia & dignitate existat. Si autem hi nullam in te virtutem conspiciant, sed imperfectiones potiùs, & leuitates, quomodo possunt bonam de te habere opinionem, & laudes

laudes tuas celebrare? Opera bona efficiunt opinionem bonam, & non desiderium eius, qui laudis cupidus est.

OPTAS videre, quàm longè in hac re ab sis à veritate? Considera, quod tibi iam sum dicturus. Vel mortuus es mundo, vel non es. Si non es, non vales pro religione, nec religio pro te; hæc enim nullos alios recipit & probat, nisi qui toto corde vanitatibus mundi renuntiarunt. & hoc est, esse mūdo mortuū. Inter vanitates autē mundi vna est, ambire laudes, & optare magni æstimari. Si verò mortuus es mundo, cur vis esse in precio apud illum? Mortuus non curat, ponatur nē ad dextram, vel ad sinistram, in loco honorato, vel non honorato, aperiatur sibi caput, vel non aperiatur. Si verò tu ambis honoratiorem locum, si nobile officium, si vis, vt alij tibi cedant, quomodo mortuus es? Nec satis est mihi, si dicas te honorem expetere ob gloriam & honorem meum, vt maiorem apud homines obtineas auctoritatem, eaque fretus plus auxiliij in eos conferre possis. Si enim sic esset, id meo non tuo muneri procurandum incumberet, ac si necesse fuerit, non deero officio meo. Interim honor meus, & gloria mea est, si  
tu sis



tu sis humilis, & si quando vilipendaris, non molestè feras: sic enim similis eris mihi, viues in religione quietus, & mercedem obtinebis in cælis. Noris autem, cupidum esse laudum, non esse viam ad alios iuuandos, sed sectatorem esse humilitatis, caritatis, aliarumque virtutum, ac in primis si ab omni ambitione & avaritia alienissimus sis, & bonum exemplum aliis præbeas.

*Religiosum non debere esse commodorum corporis plus a quo studiosum.*

## CAPVT II.

**F**ILI, blandiri amico, & commoditatem illi præbere benè faciendi, est admodum conueniens & laudabile. Sed blandiri inimico æternum tibi exitium molienti, & oportunitatem illi dare malè agendi, est admodum absurdum & detestabile. Non autem ignoras, è tribus capitalibus inimicis tuis vnum esse tuum corpus. Perspectum quoque habes carnem tuam, si non castigetur, sic reddi ferocem, vt perdere velit animam. Qua, quæso, lege præscribitur, vt religiosus abblandiatur corpori, qui obligatus est illud freno coercere, & mortificare? Qua ratione commodis corporis studeat religiosus,

giosus, qui exploratum habet, quo plus illi blanditur, hoc magis insolescere? Apostolus meus castigando corpus suum, & durè *1. Cor. 9* tractando, reuocauit illud ad debitam seruitutem spiritus. Qui ergò nimis multa illi commoda suppeditat, causam dat vt rebellet contra spiritum.

**DOMINE**, non fecisti nos corporis nostri Dominos, vt possimus illud occidere vel mutilare: imò imperasti nobis, vt incolumitatem eius, quoad possumus, tueamur; poterimus ergò ea commoda procurare, quæ ad sanitatem conseruandam faciunt; eoque amplius, quod non animam solùm, sed etiam corpus ad tuum diuinum cultum peragendum adhibeamus.

**FILI**, vt religiosus per congruentia media suam sanitatem ad cultum meum perficiendum tueatur, vehementer mihi placet: sed hoc displicet, quod prætextu seruandæ sanitatis nimium indulgeatur corpori. Mihi non arridet religiosus, qui vult vsurpare partes Medici, ipseque iudicare, quid vtile vel noxium sit suæ sanitati. Hinc enim fit, vt quicquid palato eius arridet, illi sit salutare: & quicquid gustui non placet, sit noxium ad sanitatem. Nec minus me offendit, quod addit id facere se ad maius meum seruitiũ.

Aa

Certè

Certè id non est seruire mihi, sed seruire suo gustui & sensualitati. Seruitium meum est, quando vnusquisque carnem suam mortificat, quantum conuenit. O quot religiosi sanitatis tuendæ prætextu, serui fiunt suarum cupiditatum? sanitas meliùs conseruatur parsimonia, & moderatione, quàm procuratione rerum ad gustatum pertinentium. Imò hac via læditur sanitas, quia semper in rebus quæ voluptatem afferunt, fit excessus. Obligatio deindè religiosi propria est, corpori tantum indulgere, quantum opus est ad vitam, & non quæ ad titillandam carnem.

Si religiosus diligenter expenderet, vndè oriatur illa tanta sollicitudo, quam de se, suoque corpore gerit, non esset tam anxius vel importunus in commodis corporis sectandis. In quibusdam oritur ex superuacanea commiseratione erga seipsum, quia optarent illud aliqua voluptate afficere. In aliis verò, ex magnifica existimatione quam de se habent, quia enim credunt magni referre reipub. si diu in viuis perseuerent, toti sunt in tuendâ corporis valetudine. Vtraque autem, & commiseratio, & existimatio sunt amoris proprii filia. Quis verò fructus nasci potest ex tam perniciofa radice? Cogitant

loquē

fortè isti, sublatis ipsis interituram meam Ecclesiam, vel suam religionem? Falluntur profus. Multę alię columnę collapsę sunt, & nihilominus tam Ecclesia, quàm religio statum suum retinent. Mihi incumbit vtramque & conseruare, & bonis instruere operariis. Ego spondeo, religionem, sublatis huiusmodi hominibus, non solùm non pessum ituram, sed etiam incrementũ sumpturam: quia ferè ij, qui minus laborarunt in religione, eandemque diuexarunt, sunt illi, qui nimium commodis corporis dediti fuere. Atque hi sunt, qui prauo suo exemplo religiones labefactant.

QUANDO tu religioni nomen dedisti, nonnè id fecisti animo multa patiendi pro animæ tuæ salute, meique amore? nonnè constituisti pauperem vitam agere, omniaque incommoda, quæ pauperibus eueniunt, tolerare? Cur ergò nunc, cum maiori luce deberes esse illustratus, ardentioreque caritate inflamatus, illas primas cogitationes operibus ipsis nõ præstas? O impostura ingēs. Religio ad macerandũ corp⁹, & ad animã spiritalib⁹ opibus locupletandã instituta est, & tu in ea comodis corporis, neglecta animæ salute, existimas opã dandã? dic age, in seculo comodis corporalib⁹ abūdabas, nec ne?

Aa 2

Si

Si non, cur in religione, quàm incommo-  
 dorum sustinendorum pro Christi nomine  
 causa es ingressus, ea requires? Si verò abun-  
 dabas, iisque te amore mei vltro spoliasti,  
 vt plus mihi placeres, cur nunc in religione  
 ea iam deserta repetis cum mea offensione,  
 & prauo aliorum exemplo? Præterea, si a-  
 more mei commoditatibus corporis renū-  
 ciasti, nunc cum illas repetis, clarè ostendis  
 te ab amore mei discedere? Quanti autem  
 à me faciendus est, amor tam caducus & in-  
 constans? Quod si fortè putas te saluo amo-  
 re mei posse simul inhiare commodis tem-  
 poralibus contra meam voluntatem, vehe-  
 menter deciperis, quia verè amare non po-  
 test, qui non se amati voluntati conformat.

FILII, aues intelligere, quemadmodum  
 me meumque corpus tractarim, percurre  
 vitam meam à primo ortu vsq; ad mortem,  
 & facilè deprehendes, quàm mihi exigua  
 suppeditarint commoda. Nam simulatque  
 in lucem editus fui, stabulum mihi fuit cu-  
 bile, lectus præsepe. Paulò post verò ob He-  
 rodis persecutionem coactus sum fugere in  
 Ægyptum. Et perpende tu, quæ commoda  
 se mihi obtulerint tum in itinere illo, tum  
 in solo externo & barbaro, cum matrem ha-  
 buerim inopem, quæ etiam in nocturnis te-  
 nebris,

nebris, quamprimùm certior reddita est, in  
viam se dare debuit. Reuersus deindè ex Ae-  
gypto reliquam vitam in paupertate trans-  
egi. Anno trigesimo ætatis recepi me in de-  
sertum, vbi fame, siti, vigiliis, & quadragin-  
ta dierum noctiumque ieiunio, ac humi cu-  
batione corpus meum affixi. Deserto egres-  
sus pedes oppida & castella regni cælestis  
annunciandi causa percurri, & ex eleemosy-  
nis aliorum perpetuo vixi. Passionis tempo-  
re non solùm nulla mihi fuere commoda,  
sed vna afflictio aliam excepit. Deniq; mo-  
rienti crux fuit lectus, & corona spinea pul-  
uinus. Iudica nunc religiose, an conueniat  
te seruum meum qui professionem me imi-  
tãdi fecisti, molliter tractare corpus tuum,  
postquam ego Dominus tuus meum tracta-  
ui tam asperè? Et quamuis meum corpus  
semper fuerit animę subiectũ, & rationi ob-  
sequentiissimum, tamen nunquam illud vl-  
lis lautitiis excepi, nullis commodis vel re-  
creationibus oblectaui. Quomodo ergò tu  
corpori tuo, quod toties spiritui & rationi  
temerè insultauit, omnis generis illecebras  
indulgebis? Ego Dominus maiestatis sem-  
per contentus fui tenui victu & vestitu, &  
tu in religione non contentus communi-  
bus affectabis superflua? Hoc non est esse,

vel vitam agere religiosi, sed potius habitu religionis vitam secularem obtegere.

NIMIA rerum temporalium sollicitudo, spina est nimium pungens, & grandi damno religiosum afficiens. In primis enim facit eum procuratorem, immò mancipium sui corporis. Quis verò non videt indignum esse, ut religiosus ex corporis castigatore, fiat eiusdem procurator, & verberum loco, illi lautitias omnes subministret? Deindè tam animo distractū detinet, ut nullam è rebus spiritalibus capiat voluptatem. Et quid hoc est aliud, quàm facere illum animale, qui non gustet, vel sapiat quæ Dei sunt? Ad hæc reddit eum asperum in socios quibuscum viuit, quia in omnibus semper vult quod præstantius sibi que commodius est, posthabitis aliorum commoditatibus. immò priuata sua comoda anteponebat communibus, nihil pensi habens quid damni in religionem redundet, modo ipse voto suo potiat. Quid autem hoc est, nisi religiosum exuere caritate & discretionem? Neque hic finem facit importuna corporis cura, sed supra hæc religiosum reddit querulum, ociosum, murmuratorem, & peruersi exempli. Vult omnes commiseratione sui moueri, omnes beneuolentiam sibi ostendere, & idcirco

Idcirco minimam quamque inualetudinem corporis attribuit laboribus in religione exantlatis. At quomodo in talibus potest esse vel spiritus, vel religiosa disciplina? O infelices subditos, nec minus infelices Superiores, qui hæc in religione, cuius ipsi sunt pastores permittunt, cum hoc non sit aliud quam peste quadam illam inficere, & iuuenibus demonstrare viam ad eam prorsus labefactandam.

*Non satis esse religioso corpus refrenare, nisi & anima coerceatur.*

## CAPVT III.

**F**ILI, quod religiosus ita cohibeat corpus suum, eiusque sensus, ut non insolescant, vel insurgant aduersus animam, bonum & salutare est, sed non consistit in eo religiosa perfectio, sed potius in internis animi virtutibus, ex quibus proficiscitur reformatio passionum & sensuum. Nec corpus ab anima dirigi potest, nisi prius anima ipsa cum suis facultatibus fuerit ad rectam normam reuocata. Regula inflexa non valet ad alias res dirigendas. Tunc verò anima est ad rectam



normam directa, quando conformata est voluntati diuinæ, quæ est prima & infallibilis regula. Mortificet aliquis carnem suã, quantum libet, eamque quoad fieri potest teneat subiectam, si animi affectus non sint ad normam certam reuocati, nunquam aspirabit ad eam tranquillitatem, quæ ad comparandam perfectionem est necessaria. Affectus quoque ad moderationem reduci non queunt, nisi prius eodem reducuntur eorum principia, à quibus oriuntur, id est, intellectus, & voluntas.

Nos tri intellectum esse supremam hominis potentiam vel facultatem, à qua omnis harmonia & moderatio cæterarum facultatum pender. Voluntas non intelligit, & ided operari nequit, nisi adiuta luce & cognitione intellectus. Reliquæ facultates inferiores, quæ exequuntur quicquid ordinatũ est à superioribus, pendent quoque ab intellectu, quippe qui quid agendũ sit illis demonstret. Quod si intellectus non fuerit ad æquitatem suam redactus, totus hominis interioris, exteriorisque status difficitur & turbatur. Intellectũ quidem præcipuè peruertit iudicium proprium, à quo sic excæcatur, vt perperam ratiocinationes suas instituat, & prius conclusiones suas inde edu-

de educat. Vndè si tu intellectum ad iustam moderationem reuocare velis, necesse est, vt illi adimas proprium iudicium. Proprium iudicium voco illud tuum opinari, tuum propositum, tuam sententiam, quæ cum meo tuorumque Superiorum iudicio non congruit, & idè propriè est tua, tibi que peculiaris, à communi tuorum maiorum, sapientum, & virtute præditorum iudicio dissentiens. Cum igitur hoc iudicium tuum non sit consentaneum meo, hoc est primæ & nunquam fallenti regulæ, rectum & bonum esse non potest. Quæ enim vel rectitudo vel bonitas eius esse potest, quod nascitur ex superba præsumptione? Dum tu proprio niteris iudicio, non modo illud anteponis aliorum iudicio, sed etiam existimas illud præstare aliorum iudiciis, omnes hallucinari te excepto, neminem intelligere rem, nisi te, vnde & animo efferris, cæterosque tanquam hebetes & minus intelligentes aspernaris nonnè hæc luculenta est præsumptio & superbia? Quid verò deterius esse potest, quàm arroganter se omnibus anteferre? Hinc venit, vt tuo iudicio plus æquo addictus, in deliberationibus tuis nullum des locum aliorum consiliis: quod non est aliud, quàm facere te obstinatum, proteruum

& pertinacem. Quis iam miretur, si fraudibus & imposturis diabolicis sis obnoxius? Si in grauissimos labaris errores? Vnde enim ortæ sunt hæreses, schismata, sectæ, discordiæ, aliæque innumera turbationes, quæ olim fuere, & nunc sunt in mundo, nisi ab hominibus nimium ingenio iudicioque suo præsentibus? Iudicium proprium quo tibi carius est, hoc maiori damno te afficit, diuellit te siquidem a tuis Superioribus, facit vt videare sapiens in oculis tuis, vt tibi plus æquo fidas, vt citò ad fastigium superbiæ peruenias, ac denique vt te precipitem agat in eam cogitationis foueam, quo putes te nullo in via spirituali duce indigere. O quanto intelligentior, sapientiorque est religiosus, qui iudicio Superioris vtitur tanquam suo, nec aliud querit. nam hoc modo satisfacit mihi, in celo accumulatur meritum, & tranquillam vitam, qua nihil iucundius est, agit in terris.

ALIVD quod turbat & peruertit intellectum est curiositas res diuinas intelligendi. Nam cum intellectus natura procliuis sit ad res intelligendas, si curiositatis calcariibus præterea stimuletur, per tot ignotas vagabitur nationes, vt se ipse tandem

dem perdat Res diuinæ intelligentiam humanā longè excedunt, & ideò comprehendere eas nequit. qui ergò curiosè volet earū indagare mysteria, facilè à lucis immensitate offuscabitur. Si enim corporei oculi citra visus iacturam non possunt defigere aciem in lucem solis, qua ratione visu intelligentiam humanam natura finitam, & limitibus circumscriptam posse inaccessibilem illam Dei lucē, quæ infinita est, capere? Qui grauat se onere viribus suis impari, meritò ab onere opprimitur. Deus non foret Deus, si ab intellectu creato comprehendi posset. Desideras sapienter tractare res diuinas, applica te ad virtutem fidei, nec aliud quære. hæc enim breuissimo tempore, & certissimè docebit te quicquid necessarium est ad salutem æternam. Tolle quoque è medio curiositatem cognoscendi, quæ ad Superiores, aliosque ad te non attinentes, spectant; quia plurimum te perturbant, atq; etiam impediunt, quò minus ad moderationem iustam intellectus peruenias. Quid opus est te aliorum defectibus intelligendis operam dare, cum sufficere tibi debeat, si cognoscas tuos, quos si probè cognoscas & sedulò corrigas, non exiguum operæ precium facies.

Curio-

Curiositatis hoc vitium est, stimulare ad expiscandas res alienas, & obliuisci proprias.

Est & alius defectus intellectus, nempe temerè iudicare, qui nisi tollatur non potest dici Intellectus ad normam iustam redactus. Contingit autem hic defectus, quando sine causa, nullis antegressis indicis indubitatum iudicium de aliorum factis pronuntiatur. Quod si verò etiam quis intentionem alicuius in malam partem interpretetur, cum possit in bonam, vel etiam excusare, eiusmodi iudicium valdè perniciosum est suo auctori, quia & caritas, & iustitia læditur. Si iudex non sis interioris hominis, nec eum cognoscis, cur audes eum iudicare? Ego solus sum scrutator humanorum cordium, mihi soli perspecta est vniuscuiusq; intentio, & idcirco mihi soli munus iudicandi deferendum.

Ad dirigendam deinde voluntatem, opus est tribus imprimis mederi defectibus, non minus fastidiosis, quam periculosis. Primus est, quod voluntas natura sua sit cæca & mille lapsibus obnoxia. Alter est, cum sit libera, vagari potest quocumque libuerit, siue rectam, siue malam viam teneat. Quatenus cæca est, ne aberraret, & labatur, opus habet duce. Quatenus libera verò, ne fines  
ratio-

rationis excedat, indiget fræno. Dux erit voluntas diuina, ab iis declarata, qui vices meas in gubernatione obeunt. Frenum erit diuinæ iustitiæ timor, qui illam itinere recto & securo deducet. O felicem religiosum, qui tali fræno circumductus tam fidum sequitur ducem.

TERTIVS defectus est, quod voluntas soleat esse sui ipsius proprietaria, quo nisi liberetur, non poterit in ordinem redigi. Religiosum esse, & propriam voluntatem retinere, vna consistere nequeunt. Is enim verus religiosus dicitur, qui cum cruce sua sequitur me. Iam autem in sacra mea Scriptura decretum est, neminem posse sequi me *Mat. 26.* nisi abneget seipsum & propriam voluntatem deferat.

DOMINE, estne ergò propria voluntas, si feratur in res pias & salutare, deferenda? Fili, quicquid propria voluntate desideras, debes relinquere, siue temporale sit, siue spirituale. Voluntatem propriam appello illam, quæ non consentit cum mea, vel tuorum Superiorum, ac propriè tua est. & quia à mea discordat, bona esse non potest. Voluntas propria est, quæ mihi indicit bellum, hanc horreo, hanc odi, hanc fundavi in inferno, hanc infernus fouet, & hæc sola in illo scue-

lo scue-

lo seueriffimè punitur. O dementem religiosum, qui pluris suam, quàm diuinam voluntatem facit. Non sic ego feci. Quando mea humanitas refugiebat bibere amarum passionis calicē, dixi Patri cælesti, *Non mea, sed tua voluntas fiat*. Si ego ergò in hac vita *Mat. 26.* non volui voluntatem meam facere, vide turnè tibi, decere vt facias tuam? An existimas conueniens esse, vt tuam voluntatem anteferas Creatoris tui, maiorumque tuorum voluntati? Qui plus æquo se extollit magni suam voluntatem æstimando, lapsu quoque grauiore in suum exitium ruet.

*Religioso exuendum esse immoderatum affectum in parentes.*

#### CAPVT IV.

**F**ILI, nisi oblitus fueris populi tui, & domus patris tui, ego nõ amplectar te, nec tecum familiariter agam. Non satis est semel renunciaſſe mundo & parentibus, vti fecisti initio tuæ conuerſionis: sed vt ad gradum perfectionis tibi propositum perſtingas, necessarium est vt in eadem renuntiatione vsque ad finem vitæ perſiſtas. Parũ vel nihil prodest captiuo egressum esse portam carceris, nisi & compedes quibus aſtrictus

ctus fuerat in carcere excutiat. Sic parum tibi proderit paterna deseruisse limina, nisi affectum immoderatū ad parentes amputaris. hic siquidem affectus ita te astrictum tenet, vt obliuisci eorum nequeas.

VERVM est, me in sacra Scriptura centuplum cum vita æterna religiosis addixisse, sed iis, qui amore mihi seruiendi reliquerint patrem & matrem, ac quicquid in mūdo possidebāt. Verum est, me esse magistrū, & docere, sed indè ab initio protestatus sū, neminem posse esse discipulum meum, qui non oderit patrem & matrem, vitam propriam, & quicquid à profectu spirituali retardare potest. Non est bonus discipulus, nec proficere potest, qui non est attentus ad ea quæ in schola præleguntur. Lectio quam ego auditoribus meis trado, est, vt moriantur mundo, vt subigant animi perturbationes, quæ hominem inquietum reddunt, vt carnali in parentes affectu se exuant, ne via ad perfectionem intercludatur. An non experiris tu, nimiam affectionem qua complecteris tuos, te reddere inquietum? an nō vides eandem quoque aliis esse grauem & molestant? non aduertis, te dum de illis sollicitus es, in tui obliuionem venire? Quod certè non est inire meam scholam, sed

*Mat. 19.*



S. Fran-  
ciscus.

sed potiùs ex ea fugere. Si mortuus es mundo, cur te adhuc angit parentum cura? Si tantum viuis mihi, sicut debes, cur mihi nõ es coniunctus, meque loco patris, matris, omniumque aliarum rerum complecteris? O quàm egregiè hoc intellexit dilectus religiosusque seruus meus, qui toto pectore dicebat. *Deus meus & omnia.* aliique sancti religiosi, qui ne occasionem vllam haberet agendi cum parentibus secedebant in remotissimas solitudines, & veluti mundo mortui se in subterraneis specubus quasi in sepulcris abdebant.

DOMINE, nonnè in sancta tua lege mandasti diligendos proximos, immò & inimicos, eorumque inopiæ subueniendum? Quomodo ergò nunc exigis, vt parentes, qui primum locum inter proximos tenent deseramus, & odio prosequamur? Fili, non nego diligendos esse parentes, & amicos quos deseruisti in seculo, sed diligendi sunt affectu spirituali, eoque amore quem ordinata caritas postulat. iam autem non ignoras, te tibi ipsi proximiorum esse, quàm amicis & parentibus: caritas autem requirit, vt sic eos diligas, vt tamè nullum spirituale damnum facias tibi propter illos. Quod si ergò perturbat te in religione, & in meo cultu

in.

inquietent, atq; etiam profectum spiritua-  
lem impediunt, cur non sint à te deferendi?  
cur non longiùs recedas ab illis? Deindè  
nonnè eos parentes, qui tibi aduersantur, &  
malint te extra religionem viuere, atq; eti-  
am laborant vt ab ea te retrahant, odisse te-  
neris, & fugere tanquam dæmonis opera-  
rios? Non debet tibi parentis vel amici esse  
loco, qui conatur animã tuam in salutis di-  
scrimen cenitare. Non sunt illi tui proxi-  
mi, nec sunt etiam ex inimicis corporali-  
bus, quos lex Christiana vult diligendos,  
sed sunt inimici tui spiritualis boni, sunt i-  
nimici honoris & gloriæ meæ, & vt breui  
comprehendam, sunt hami inferni.

QVANDO autem opus sit succurrere eo-  
rum necessitati tam corporali, quàm spiri-  
tuali, quo modo, & quantum, id tibi a Su-  
perioribus cognoscendum est. Scias autem  
Dæmonem ficta caritatis pietatisq; in pa-  
rentes specie multos ex felici religionis sta-  
tu exturbasse. Nullus religiosus, nisi sit plus  
quàm mortificatus, & plus quàm mundo,  
amoriq; proprio mortuus, vnquam secu-  
rè poterit agere cum parentibus. O quàm  
mihi displicet, dum video quosdam religio-  
sos ardenti desiderio expetere, vt aliquid de  
parentum statu cognoscant, & ab iis litte-

ras accipiant? hoc enim aliud non est, quam occasionem quære turbationis & distractionis in orationibus. Parum est reliquisse parentes corpore, nisi relinquant quoque animo, & cogitatione. O quam sapienter nonnulli mei serui egere, qui cum ex remotis regionibus suorum litteras accepissent, causa tuendæ suæ quietis, eas nec dum lætas in flammis abiecerunt. O religiosorum quorundam plangenda ineptia. Parentes ab iis relictis in seculo, eorum curam memoriamque omninò deposuere, & ipsi in dies sunt solliciti & anxij de illis.

Nec minus offendunt me ij religiosi, qui non solum optant, verum etiam omni studio conantur suos parentes vel cognatos ad magnas dignitates euehere atque idè secularibus se subiiciunt, ut eorum fauorem venentur; qui sanè & suæ auctoritatis, & religionis suæ non modicam iacturam faciunt. Fili, non animaduertis hoc non esse seruire mihi, sed seruire tuis? Non vides, hoc non esse instruere animam virtutibus, sed alios ditare multis commodis? Quæ regula præscribit, ut in religione agas parentum procuratorem? Attende tibi ipsi. ego certò tibi asseuero, in extremo iudicio non me percontaturum à te, fuerint nè parentes  
tui

tui in hac vita magni, nec an in procurandis pro eis dignitatibus fueris sedulus, sed potiùs exigam à te rationem, si talibus negotiis te implicueris. Non est hæc via religiosa perfectionis, sed via amittendi spiritum, omnemque pietatem. Non ingens amentia est, religiosum esse ignauissimum in percurrenda perfectionis via, ad quod obligatur; & esse solertissimum ut sui in mundo euehantur ad maximas quasque dignitates? Ac quod eo deterius est, plus mihi displicet esse alios religiosos, qui maiorem curam impendunt, ut parentes & cognati commodis temporalibus abundant, quam ut spiritualibus. Vnde rarò & frigidè eos cohortantur ad studium virtutum, crebriùs autem & magno affectu eos incitant ad sectandos honores terrenos. Fili, quid tibi proderunt tuorum dignitates & nomina, si tu sis imperfectus? Quod præmium à me præstolaris, si tantùm labores pro carne & sanguine? Multo certè rectiùs faceres pro te, & pro illorum salute, si eos dirigeres in via virtutis, tibi enim accessio fieret ad meritum, & pro illis securiùs salus animæ promoueretur.

*Religiosum magna prudentia & circum-  
spectione debere vti consuetu-  
dine aliorum.*

## CAPVT V.

**F**ILI, omnes religiosi, cum quibus viuis, sunt dilecti mei filij. caritasq; mea quã complector illos non est partialis, sed generalis, amo enim omnes, omnibusque vera bona opto. Te quoque exemplo meo cupio amare omnes indifferenter, omnibusque optare perfectionem in hac vita, & gloriam æternam in altera. sic enim postulat ordinata caritas religiosa. O quantoperè mihi displicent familiaritates quorundam religiosorum particulares, qui caritatem, quã debebant expandere ad omnes, contrahunt ad duos vel tres, cum quibus assidue consuetudinem habent, & prauo exemplo alios grauitè offendunt. Quomodo autem fieri potest, vt non oderim talem conuersationem? Amicitia, quæ communitatem laedit, nunquam fuit bona, nec vnquam bono fine conclusa est, sed semper aliquid mali peperit, murmuraciones, obloquia, querelas, dissensiones, quibus si nulla alia grauiora mala essent, satis forent perniciofa religioni.

Cum

CUM sis communitalis religioſæ mem-  
brum, omni ratione teneris eam non ſolū  
diligere, ſed etiam amore illius aduerſi ali-  
quid tolerare: nam vt ſaluū incolumēq;  
ſeruetur corpus hominis, ſæpè ferro igniq;  
membrum aliquod vel excruciat, vel etiā  
à corpore reſecatur, eò quod membra à na-  
tura ordinata ſint ad corporis totius con-  
ſeruationem. Si ergò tu diligis religionem  
tuam, cuius es membrum, operam dare de-  
bes vt eam ſartam rectam conſerues, & o-  
mnia à te remouere, quæ perniciem aliquā  
ei afferre queant, inter quæ meritò reponi-  
tur nimia cum quibuſdā familiaritas. Qui  
verè diligit, cauet ſedulò ne vlla re offendat  
amatum. At videmus communitates priua-  
tis amicitiiſ non parum offendi, maximè ſi  
illæ intercedant inter homines liberioris  
vitæ cupidos, qui neque inter valdè ſpiri-  
tuales, neque inter benè mortificatos repu-  
tantur. Conſequens ergò eſt, eum, qui non  
abſtinet à ſimili conuerſatione, quæ cæterum  
reliquorum offendit, non eſſe amatorem  
communitatis, nec religionis. Probè noui,  
nonnunquam reperiri aliquem religioſum,  
qui exiguam vel nullam curam ſuſcipiat a-  
mandæ religionis ſuæ, nihilque penſi ha-  
beat, num illa benè vel malè procedat, mo-

E b 3

do ipſe

do ipse suis commodis non careat. Verum scire debet omnis religiosus religionem esse matrem suam, & si eam non diligit, & tractet ut matrem, ipsum non tractandum tanquam filium, sed tanquam ingratum pro meritis suis aliquando castigandum.

Nec me latet, non desiderari qui se hoc loco excusent, se a natura & complexione naturali proclives tantum esse ad paucos, & idcirco illorum tantum usurpare consuetudinem. At unde didicisti religiosum debere uti duce natura & complexione? Si natura te inclinaret ad otium, vel ad superbiam, posses te dedere otio & superbiae. Sed memineris filii, te factum religiosum, ut vinces naturam, & cupiditates inordinatas sanguinis aut complexionis cohiberes. Iam autem liquet particularium familiaritatum affectum, cum spiritui religioso non sit conformis, necessario esse inordinatum. Nec valet, si dicas. In peculiari ista consuetudine nihil inesse mali, nec peruersum aliquem finem esse praestitutum. Satis siquidem magni mali speciem habet, quo alij offenduntur, & quod spirituales omnes Patres reprehendunt.

DOMINE, tua voluntas est, ut quisque in spiritu proficiat, eaque media usurpet,  
qui

quibus profectum spiritualement iuuare queat: si ergo ego experiar me consuetudine crebra vnus plus proficere in spiritu, quam colloquio multorum, cur me vis tali praesidio spoliare? Fili, conuersari, quemadmodum conuenit, cum iis, qui te in spiritualibus promouere possint, non potest offendere communitatem. Hoc enim praesidium tibi suppetere potest, etiam exclusa nimia familiaritate, de qua hic sermo est. Verum si communitas offendatur, signum est conuersationem tuam praescriptos limites excedere, nec esse tam diuinam, & spirituale, quam tu arbitraris. Ac ut aliquando ex priuato illo congressu haurias aliquem fructum spiritualement, tamen hoc tuum commodum non esset anteferendum communi offensionis tuae religionis: sed ordinata caritas suaderet, ut alia via eundem tibi fructum spiritualement citra aliorum offensionem procurares.

Qv o d si nimia inter religiosos, seruosq; meos familiaritas alios offendit, ac proinde reprehensione digna est; quantum offenderet, si religiosus tam crebra consuetudine vteretur cum homine seculari, qua occasio dari posset prauarum suspicionum? conuersatio religiosi cum secularibus, non solum aedificationem praebere debet iis, cum quibus conuersatur, sed etiam

Bb 7

aliis,



aliis, qui id vident : tenetur enim omnibus bono exemplo esse. Et si prudentes, spiritualesque viri iudicent tam crebram consuetudinem cum certa persona non esse salutarem, debent ab ea abstinere. Nec satis est, si quis dicat, se agere de rebus bonis, se laborare pro hominis conuersione, maleque facere eos, qui secus iudicent. Non nego iuandos esse proximos, sed id debet fieri per debita media; nimia autem conuersatio cum aliquo debitum medium non est, nec a caritate ordinatum. Religiosus, qui in iuandis aliis nullam nominis sui curam gerit, male facit. Qui vero occasionem aliis praebet male cogitandi de se, peius facit; nec enim malum tantum, sed etiam species mali cauenda est. Nec satisfacit, qui respondet, se bona uti intentione. necesse enim est & opera nostra esse bona, ab omni suspitione mali aliena. Alij non sumunt iudicium ex tua bona intentione, quam non vident, sed ex conuersatione quam vident: ac ut viderent intentionem, tamen illam non excusarent, quia nimia familiaritate & illam in periculum coniicis. O quot colloquia inter religiosos inchoata sunt cum spiritu, postea vero consummata cum carne & sanguine. Nimia confidentia sui multos impulit in lapsum.


lapsum. Si multi capti sunt vno oculorum coniectu, quot capientur diuturna conuersatione, crebrisque colloquiis? Sensualitas nostra admodum versuta est, & ne deprehendatur impostura, nonnunquam se obueolat pallio iuandæ alicuius personæ, ac initium quidem facit à colloquio spirituali, sed postea sermo affectu plenus facile ostendit, quo collimarit. Fili, caue tibi à dæmone, maximè quando se in angelum lucis transfiguratur, & velut mortem refuge eius consuetudinem, ad quem sentis affectum sensualem Ignis licet modicus, nisi longè à palea separetur, excitat fumum, & postea flammam.

Sunt alij religiosi, qui contra Superiorum suorum voluntatem ambiunt familiaritates Dominorum mundi, non tam ut illorum salutem promoueant, quàm ut ipsi gratiam beneuolentiamq; eorum sibi concilient; quæ res nonnè est omni lacrymarum fonte plangenda? Fierinè potest, ut religiosus, qui seculo renunciauit, venetur patrocinium Domini secularis? Dic rogo, quam ob rem ambis eorum fauorem & opem? an ut disciplinæ religiosæ facias satis? an ut te mortifices, quem admodum omni religioso conuenit? vel etiam ut faciliùs contendas

ad perfectionem? At certè in hanc rem fa-  
uore vel auxilio secularium non eges, sed  
si auxilium quæris, multos habes in religio-  
ne qui tibi auxilio esse possint. Quanquam  
alij non sunt tam simplices, quin odorentur  
facilè, te non alia de causâ aucupari eorum  
beneuolentiam & tutelam, quam vt disci-  
plinæ religiosæ te subducas, nec Superior  
pro sua voluntate possit tibi imperare,  
quod tuo non arrideat palato. Quid autem  
hoc aliud est, quàm libertatem secularem  
veste religiosa obtegere? Quid aliud est,  
quàm in obscuro degere in seculo, & ami-  
citiâ eius inire, in clara verò luce denun-  
ciare illi inimicitiam. At ego non minus  
noctu cerno, quàm interdiu, & exspecto  
illos quodam temporis momento, cum o-  
mni fauore & ope aliorum erunt destituti.  
Tunc notabitur pernitiôsa eorum versu-  
tia, ipsi que cognoscentes, quàm noxium sit  
à tutela mea degenerare ad terrenorum  
Dominorum patrocina, suo malo cla-  
mabunt. *Maledictus homo, qui*

*Isre. 17.*

*confidit in homine.*



*Reli.*

## CAPVT VI.

**F**ILI, à primo mundi conditi initio, exilio  
damnarum est otium, tanquã plurimo-  
rum malorum origo, idq; eo modo factum,  
vt nullus illud receperit. Vnde Adamus tuus  
primus parens constitutus est in paradiso  
terrestri, loco voluptatis, non vt otium in  
eo ageret, vel recreatione tempus falleret,  
sed vt Scriptura loquitur, vt in eo operare- *Gen. 3.*  
tur, illumq; custodiret. Eiectus autem è pa-  
radiso ne vacaret otio, terra ei colenda tra-  
dita est, vt in sudore vultus pane suo vesce-  
retur Tu autem qui factus es laborum hu-  
ius tui primi parentis hæres, cogitasnè vesci  
pane sine sudore? Adamus pater tuus etiam  
in paradiso terrestri, si in eo remansisset, fu-  
isset operatus: & tu in exilio, laborum loco  
vis otuari? in valle lacrymarum vis operam  
dare voluptati? Aduerte fili mi, te nondum  
peruenisse ad patriam, sed esse adhuc ad-  
uenam & peregrinum, sicut fuere omnes  
maiores tui; Si autem peregrinus velit tan-  
dem ad patriam pertingere, non debet va-  
care otio, vel in itinere hære, sed con-  
tinenter progredi ne à tenebris noctis oc-  
cupetur.

Seruus

*Iob 5.**Seneca.**Ecl. 9.*

SERVVS meus Iob dixit, hominem natum ad laborem. quare qui diligit otium, & non laborat conuenienter statui suo, videtur conditioni hominis nō respondere. Unde meritō quidam appellarunt otium hominis viui sepulturam. O infelix religiosus, cui in delitiis est hæc sepultura, nec ob inueteratum vsum percipit eius fatorem: sed sentiet, proh dolor, in morte, quando sentiet & damnum: necesse siquidem erit ei omnibus bonis operibus audato migrare ad alteram vitam, vbi qui minus operum bonorum attulerit, minori felicitate perfruitur, & qui plus afferre poterat, vehementer dolebit, se non apportasse. O quā verum est, quod Sapiens ait, canem vitium præstare leoni mortuo. Sunt nonnulli religiosi literis præclare exculti, natura generosi, multisque talentis à Deo ornati, sed otio ita addicti, vt cum rem Christianam labore suo mirificè promouere possint, nihil tamen agant: quid verò illi aliud sunt quā leones mortui? Multo sanè plus præstat canis vivus, hoc est, religiosus ille, qui licet exigua doctrina, tenuique talento instructus, tamen amore mei facit, quantum potest, & valet. Mihi utiq; plus placet faciens parum, cum nō possit amplius, quā qui potest multa præstare, nec tamen præstat. Ego

Ego semper fui hostis otij capitalis: cō-  
 uenit ergò & te qui professionem facis mei  
 imitandi, abhorrere ab ocio. Nosti benè,  
 quemadmodum ab ineunte ætate puerili  
 ceperim laborare, nunc matrem paupercu-  
 lam, nunc Iosephum nutritium meum in  
 arte sua adiuuando. Et tu, qui è sæculo veni-  
 sti ad laborandum, non iuuabis laboribus  
 tuis matrem tuam religionem, & superio-  
 res tuos, qui te nutriunt & gubernant? Re-  
 cordare, quid meus Apostolus dicat, Ocio-  
 sum, nimirum, non esse cibo dignum. Velle *2. Theff. 3. 10.*  
 manducare, & nolle laborare, aliud non est, *Slr.*  
 quàm velle consumere ab aliis parta; quòd  
 indignum est homine, ne dicam religioso.  
 Nec satisfacis, si dicas. Ego paratus sum eti-  
 am magnos suscipere labores, sed Superior  
 non vult me occupari laboribus, ad quos  
 sum inclinatus, & commodè præstare pos-  
 sem. Non est hæc iusta excusatio, tuū enim  
 non est eligere officium quod obeundum  
 est. Famulus in inseruiendo non suam, sed  
 Domini sui sequi debet inclinationem. Id-  
 circò Superior vices meas gerit, vt præscri-  
 bat subdiris, quod ad maiorem meam glo-  
 riam facit. Deinde, vndè constat, te rectè  
 munus illud obiturum, ad quod inclinaris?  
 Tu in hoc genere non potes æquus esse iu-  
 dex.

dex ob passionem, quæ te fallit. Vnicuique placet sua, sed hic opus, hic labor est, ut nostra etiam placeant aliis: ac ut placerent omnibus, mihi autem displicerent, quid tibi prodesset? Itaque nunquam immunis eris ab otij noxa, nisi labores pro arbitrato meo tibi per Superiorem declarato.


1. Cor.  
13.

O quam perniciosum est otium homini religioso. Vbi enim regnat otium, non est caritas, quæ non potest, ut benè dicit meus Apostolus, esse otiosa. Si ergò sis otiosus, consequens est tibi caritatē non inesse. Et quid misero tibi prodeit, si donis talentisque omnium creaturarum donatus sis, & careas caritate? Quid meritorum accumulabis, si non opereris secundum caritatem? Otium, quantum aduersatur labori & caritati, tantum placet dæmoni, cuius tentationibus & impugnat onibus præbet locum & opportunitatem. Vbi otium est, ibi vndique dæmoni aditus patet, est enim illi otium perinde atque vrbs destituta muris. Quare præci illi & sancti Patres eremi cultores crebrò commonefaciebant discipulos suos, ut si liberi esse vellent ab insulibus dæmonis, idagerent, ut semper essent occupati, sic enim præclusum est aditum ipsius machinationibus.

Facit

**FACIT** & aliud damnum in religioso otium, ut nempe in multos labatur defectus. reddit enim illum curiosum, silentij præuaricatorem, & obrectatorē, facit ut alios in suis exercitiis impediatur, ut sæpè foras prodeat & per urbem vagetur, ut varias quærat recreationes & ludos. Non est hæc via comparandi virtutem, nec tendendi ad perfectionem, quam tui maiores sunt consecuti, & nunc bonorum operum suorum fructu iucundissimè perfruuntur.

**INFERTVR** & aliud ab otio damnum, quod religiosum duabus rebus preciosissimis spoliatur, tempore scilicet & vita. an non hæc perspicua est dementia? Ego te vita donavi, eam que conseruo, ut eam meritis locupletares, & nullam rationem habes tui commodi? Quam utilitatem præstolari a te potest proximus tuus, si tua ipsius commoda flocci facias? Tempus tibi concessi, & opportunitatem excolendæ vineæ, id est, animæ tuæ, & tu sinis eam per otium totam sylvescere. Quem fructum conferes religioni tuæ, si tam exiguam animæ tuæ curam geris?





*Religioso debere esse familiare audire, &  
colloqui de Deo, rebusq; spi-  
ritualibus.*

## CAPVT VII.

**F**ILI, multi per conciones ad fidem & meliorem vitam sunt traducti, multi quoque colloquiis spiritalibus in amore Dei virtutumque sunt inflammati. Vnde tam audire, quam loqui de rebus spiritalibus, plurimum valent ad consequendam perfectionem, quia vtrumque pertingit ad intimum cor. Sermo spiritalis, dum auditur, excipitur in corde auditoris, tanquam semen bonum & sanctum, quod non potest non nisi sanctum producere fructum. Et quoniam idem prodit ex corde loquentis de rebus spiritalibus, necesse est vt ipse quoque cor, vnde prodit, inflammet. Sermonatio igitur de rebus piis, tam audienti, quam loquenti proficua est.

TOTVM hoc verum est. sed si nullus amor insit cordi, nec lingua, nec aures multum se occupabunt in rebus spiritalibus. Vnde putas proficisci, quod quidam tam raro, & tam frigidè sermonem instituant de rebus diuinis, nisi ex defectu interni amo-

ris;

ris? Vnde credis euenire fastidium & tædium, quando colloquia de rebus piis habentur, & cælestibus, nisi ex eiusdem amoris defectu? Si in cordibus nostris ignis amoris Dei & virtutum arderet, ilicò ad minimum sermonem de rebus spiritalibus sic accenderentur, vt foris etiam cernerentur flammæ. Nec de alia re colloquia fierent; nihil cupidiùs audiretur, quàm de spiritu, de deuotione, de virtutum amore: non enim solum lingua, sed etiam aures promptissimè obsequuntur, desideriis cordis.

O quanta confusio est quorundam religiosorum, qui cum professionem faciant vitæ religiosæ & spiritalis, tamen neque vnquam agunt, vel inuiti agunt de rebus spiritalibus: cum tamen nullus mortalium sit, qui non libenter loquatur de rebus ad suum officium vel functionem attinentibus, atque etiam libenter audiat alios, si sermonem inferant de rebus ad professionem suam spectantibus. Fili, aues sæpè, & cum voluptate loqui de Deo? Ama illum. Et quo amor altiùs erit infixus cordi tuo, hoc faciliùs iucundiusque de diuinis rebus colloquèris. Optas sæpè interesse colloquiis de rebus cælestibus agentium? Ama ardentè talia colloquia. Amanti siquidem

Cc

nihil

nihil gratius contingere potest, quàm audire colloquentes de re à se amata.

CIVIS QUAE rei bonitas, quò magis est explorata, hoc pluris aestimatur & cupidius expetitur. Quod si res spirituales non sint in tanto precio, nec tam cupidè expetitæ, quantum merentur, id non aliundè prouenit, quàm quia earum bonitas & excellentia latet. Inter utilitates autem colloquiorum spiritualium vnica hæc est, quod eorù beneficio patet rerum spiritualium dignitas & excellentia. Res odorifera, quò plus manibus tractatur, hoc suauiore odorem exspirat, sic res spirituales quo crebrius inter colloquia tractantur, tantò suauiore sui odorem aspirant ad auditores, & ob cognitam earum bonitatem ardentius amantur. Secus contingit in rebus corporalibus & mundanis, quæ quò amplius expenduntur & tractantur, hoc magis produnt suas imperfectiones & vitia, quare & minus à sapientibus amantur.

DÆMON pessimè odit colloquia spiritualia, & idcirco omnibus viribus ea impedire conatur. Primò enim, ne inducantur, obtendit esse molesta, difficilia, & temporis non congruentia. Si autem inducta fuerint, ne nimium protrahantur, suggerit videri  
nimis

nimis insipida & exanguia. Quod si autem  
 callidus hostis nactus sit quempiam, qui ri-  
 su & cachinnis spiritalia illa colloquia in-  
 terturbet, vel exhibilet, tum dici non potest,  
 quantum exulet; nouit enim nullum esse  
 efficacius medium ad labefactandam con-  
 suetudinem de rebus diuinis agendi. Nouit  
 tartareus serpens, quantam iacturam per  
 colloquia spiritalia facere cogatur. In iis  
 enim panduntur eius laquei, fraudes & im-  
 posturæ, ne quis in eos indui se incautus co-  
 nat; vnde non secus, quam fur lucem, sic  
 sermones spiritalia refugit & detestatur.  
 Cæterum, quod plus illi displicent, hoc mihi  
 sunt gratiores, & religiosis salutare. An  
 non hæc velut quædam calcaria vrgere de-  
 berent religiosos ad amandum, colendum-  
 que saluatorem? Deinde si sermones insti-  
 tuantur, de virtutibus, aliisque rebus spiri-  
 tualibus patefit earum pulchritudo & splê-  
 dor, qui talis ac tantus est, vt apud omnes  
 qui in eam oculos coniecerint, mirabiles  
 sui excitet amores. Quid verò aliud exopta-  
 re potest religiosus in hac vita ad benè agē-  
 dum, quàm vt amore virtutum sit incensus?  
 Quid tristiùs contingere potest demoni,  
 quam videre virtutem in precio haberi, vi-  
 tia verò vilipendi?

C c

Dic

Dic mihi nunc fili, quam iustam causam obtendas, cur non crebrius colloquio spirituali oblecteris? Si enim frigidus sis, hoc colloquio incalesces: si indeuotus, nulla via breuior ad parandam deuotionem est, colloquione cum affectu pio instituta. Deindè quid causæ est, cur non libenter aures præbeas exhortationibus spiritualib<sup>9</sup>. Quare dum sermo habetur de nouis huius seculi, vel de rebus ab aliis gestis, quæ ad te non spectant, sic arrigis aures? sed quando de piis & sanctis verba fiunt, vel es somnolentus, vel auscultas cum fastidio? Nonnulli quoque sunt, qui non dignantur interesse collationi spirituali, nisi subtiles quidam & sublimes conceptus mentis proponantur & rursus alij, qui etiam in familiaribus colloquiis putant de rebus à communi intelligentia remotis sermocinandum. Sed utrique hallucinantur, nihil enim tale postulo in colloquationibus piis & familiaribus. Id verò in primis opto. vt quicquid de deuotione aliisque rebus spiritualibus in illis profertur, id facilè sit, & ad praxin accommodatum, ac proindè omnia potius ad afficiendam permouendamq; voluntatem, quam ad pascendum intellectum dirigantur. Neque enim hic vel tempus vel locus est

est ostentandi ingenij, sed explicandi desiderii, quo quisque religiosus ardere debet, virtutis acquirendæ, & perfectionis consequendæ.

O quantum incommodavit, & adhuc incommodat in religionibus prava consuetudo. Hæc fecit, ut religiosus proclivis & facilis sit ad audiendas res vanas & leues, & effutienda futilia, tardus verò & difficilis ad audienda & commemoranda pia ac salutaria, suæque vocationi congruentia. Et hinc originem magna parte habent abusus & defectus, qui deprehenduntur in quibusdam religionibus. Linguam difficile est cohibere, & nisi eam assuefacias ad loquendū de rebus piis, ægrè abducatur à sermonibus leuibus & vanis. Verum est quidem, nullam huius rei hæere culpam in lingua, sed totam esse custodis cordis. Lingua enim non aliud loquitur, quàm quod scriptum est in corde, & velut tuba cordis, quicquid in eo extat, palam enunciat. Si insint virtutes, devotio, caritas, spiritus, de his sermonem facit. Si vanitas, mores seculares, aliæque similia, hæc quoque mox aliis prodit.

*Religiosum in omnibus actionibus suis debere esse diligentem.*

CAPVT VIII.

**F**ILI, famulus, non solum in ministerio, verum etiam in omnibus ad suum officium pertinentibus diligens, non potest non esse carus suo Domino. Et quamuis aliquando delinquat, tamen, quia diligentia prior mente non excidit, Dñs dissimilat & condonat lapsum. Quod Dominum compellit vt famulum se dulciter diligat, non tam inde accidit, quod ministerio suo faciat satis, quam quod videat eum affectum erga consueta seruitia, omniaque non ex seruili metu, sed amore in se perficere, nam amor est, qui facit eum diligentem. E contra, famulus negligens toti familiae, in qua versatur displicet si quid ei committatur, non constat, an sit facturus, & si faciat, an sit suo tempore, & modo conuenienti facturus. Vnde fit, vt Dominus quaque hora contra eum inlacet, turbetur, succenseat. Quocirca negligens, & ipse affligitur, & aliis afflictionem parat. Secus accidit famulo diligenti & nauo, ille enim summa fruitur pace & quiete, & quoniam strenue officio suo fungitur, vt eandem pacem & quietem colant omnes in familia, efficit.

Mihi

M I H I quoque magnoperè placet religiosus sedulus, sicut contra displicet ignavus & socors. Etsi non omnes seduli dicendi sunt, qui citò expediunt, quæ illis commissa fuerint, sed ij qui imperata conantur perfectè præstare, nec vlli labori parcunt. Sedulus est, qui studet omnia facere suo tempore, & sicut ego volo. Sedulus est, qui quod faciendum est, voluntate prompta occupavit, & potius exspectare conatur, quàm ab aliis exspectari. Negligens longè aliam viã terit. Primò enim id laborat, vt quàm citissimè imperata peragat, ne obrepat fastidiũ. susq; deq; ferens, quàm benè vel malè peracta sint. Negligens est, qui citra causam iustam, quod faciendum est, de hora in horã prorogat. Negligens atq; etiam malitiosus est, qui data opera se in quapiã re occupat, vel occupatum fingit, ne aliud opus, quod reformidat sibi imponatur. Negligens denique subditus est, qui cum possit, non tamè imperata facit tam accuratè, quàm Superior optaret.

F I L I, malè me habet quosdam religiosos diligentes esse, vbi opus non est, & ex negligentia prætermittere, quod necessariò faciendum erat. Non magni refert, si quis negligentior nonnunquam sit in rebus exter-



nis pertinentibus ad corpus quod erit cibus  
 vermium: sed si quis negligens sit in rebus  
 animum attingentibus, ac ad bonum statū  
 & religionis disciplinam spectantibus, qui-  
 bus mihi consuetus defertur cultus, id non  
 parum noxium est & damnosum. Quanquā  
 multo grauius me offendunt ij religiosi, qui  
 nullis parcunt laboribus in procurandis  
 corporis commodis & recreationibus, in  
 spiritalibus autem operibus promouen-  
 dis somnolenti sunt & frigidi. Haud igno-  
 ras quid me<sup>9</sup> Propheta Ieremias dicat, nē-  
 pē maledictum esse hominem, qui opus dei  
 facit negligenter aut fraudulenter. Si tu  
 potes diligenter expedire res tuas, tibi vti-  
 les & commodas, cur non facis? Si angeli,  
 cæli, elementa, cæteraque creaturæ vigi-  
 lant in tuum ministerium, cur tu torpescis  
 in cultu mihi creatori tuo exhibendo? Si in  
 gratiam hominum, quorum venaris bene-  
 uolentiam, impiger es in præstando aliquo  
 seruitio, cur deses eris in meis, vt concilies  
 meam tui Patris & Domini beneuolenti-  
 am? Æstima nunc tu, an non iure maledi-  
 ctus sit religiosus, qui negligenter mea ope-  
 ra præstat.

Si Dominus sedulus sit in procurandis  
 etiam cum discrimine vitæ & fortunarum  
 suarum

suarum, subditorum commodis, & contra  
 subditi ignavi sint in rependendo vicissim  
 officio, nonnè res erit indigna, ac non tole-  
 randa? Ego in procuranda salute tua, & me-  
 ritis accumulandis, nihil desiderari in me  
 passus sum, etiam si multa grauia mihi per-  
 petienda, ad quæ tamen non tenebar, fue-  
 rint. Et tu in benè operando amore mei,  
 totus languesces, qui ex vocatione es obli-  
 gatus? & quicquid boni facis, in bonum tu-  
 um conuertere potes? Incommodabis plu-  
 rimum tibi ipsi, & mihi Domino grandem  
 facies iniuriam, si in religione, in qua agi-  
 tur de honore & cultu mei nominis, non  
 fueris diligens. Dic mihi, si superiores tui  
 negligentes essent in procurandis ad victû  
 & amictum tuum necessariis, quid ageres?  
 & si præterea socordes essent in promouen-  
 do tuo profectu spirituali, cuius magno de-  
 siderio tenerere, quid non ageres? Certè si  
 æquo animo vtrumque ferres, meum esset  
 castigare hanc negligentiam. Quod si ita  
 est, quid te à pari castigatione eximet, si in  
 obseruatione statutorum religionis fueris  
 incuriosus & deses.

M I H I gratiùs est bonum opus perfectû  
 cum diligentia, quàm multa facta cum ne-  
 gligentia, eò quod diligentia religiosa na-

scatur ex amore, & semper amori coniuncta sit: negligentia verò sit defectus ex imperfectione amoris consecutus. Et iam nemo nō scit, mihi non esse carum vllum opus quod non sit ex amore profectum, & per amorem perfectum. Adhæc opus factum cū gaudio, multo gratius mihi est opere gaudij experire. Qui in religione operib<sup>9</sup> bonis vacat diligenter, ferè etiam vacat alacriter, quo nomine & diligens mihi carior est negligente. O quantū offendor moribus illius religiosi, qui ea tantū studiosè & nauiter perficit, ad quæ afficitur, cetera autem somnolenter & imperfectè. Quis enim nō animaduertit eum in illo priori opere, vt nullam fructus spiritualis iacturam faciat, tamen exiguum vel nullum facere quæstum? mercedem siquidem boni operis accepit ex gustu, & voluptate quam inde hausit. Quis non videt eum in posteriori opere magnum facere dispendium, cum certum sit, non satis esse bonum opus facere, nisi fiat benè? Non autem facit benè ille religiosus, qui negligenter & quasi inuitus illud facit.

FILI, conspexi multos, qui etsi in religione optimè vitam traduxerint, tamen in extrema mortis hora plurimum ob negligentia scrupulum afflictati fuere. Sed & sancti

ob eundem scrupulum vehementer in exitu suo trepidarunt. Quidverò facies tu, qui neque es sanctus, neque certus te vocationi tuæ conuenienter vsq; ad extremum spiritū victurum? Atque idcirco consulto faceres, si crebrò renouares diligentiam, & multò magis amorem diuinum, ex quo illa oritur, si velis in morte dictam afflictionem, & post mortem supplicia alterius vitæ euadere.

*Religioso non esse cum quoquam contendendum sed cum omnibus colendam pacem.*

## CAPVT IX.

**F**ILI, si in hoc exilio cupis degustare patriæ cælestis quietem, studeas fouere pacem cum tribus, cū creatore tuo, cum proximis, & tecum. Cum creatore pacem coles, si obsequaris eius mandatis, & animam cōserues immunem à peccatis. Væ tibi, si bellum geras cum D E O, qui enim bellum gerit spe victoriæ, conficit seipsum. Peccatum est, quod bellum mouet inter Deum & hominem: quia hominem inducit, vt repugnet sui conditoris voluntati. Tolle peccatum, & pacem cum Deo habebis. Cum proximis  
verò

verò fouebis pacem, si sis humilis. Humilitas mater est pacis, sicut superbia mater est discordiæ. Humilis cum omnibus tranquille viuit, & inter superbos pacem conseruat. Et quanquam aliquando cogeretur litigare, vel pugnare, non tamen pacifici nomen amitteret, quia voluntas eius tueretur pacem, necessitas autem intenderet litem, vel dimicaret. Habe ergò humilitatem, & omnibus eris carus, ne dum pacificus. Tecum coles pacem si sis mortificatus, & quanta fuerit tua mortificatio, tanta erit & pax. Multiplex pax solet inter hostes iniri, sed nulla præstantior est ea, quæ nascitur ex victoria bello parta. Passiones & cupiditates effrenatæ sunt hostes, qui te turbant & molestant, & idè ad obtinendam pacem firmam & diuturnam necesse est continuò eos bello fatigare, & victorias prosequi: si enim pugnam abruperis, nullam tibi pacem & quietem indulgebunt.

*Isa. 9.*

Ego in Scriptura sacra appellor Princeps pacis, & meritò. quia semper fui pacis amator. Vnde postquam natus sum, angeli cecinerunt. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Deinde ex

*Luc. 2.*

hoc mundo migraturus ad Patrem, non aliud testamentum, & hæreditatem meis discipulis

*Joan. 10.*

discipulis

scipulis & successoribus reliqui nisi pacem & caritatem. Quocirca eum religiosum, qui non fouet in corde suo pacem, non agnosco pro meo discipulo, & hærede, sed est exhæredatus. Age dic, quis te docuit contendere in religione, quæ est domus mea, domus pacis & concordia? Tibinè conueniens videtur, vt qui mundum deseruisti, vt vitam tranquillam in religione duceres, nõ solum non viuas in pace, sed etiam aliorum pacem conturbes? Contentiones & discordia, sunt deterrima mala, quæ in mundo esse queant. Quod si tu arbitraris te magnam rem egisse deserendo mundum, amicos, facultates, inferendo verò in religionem lites & dissensiones, vehementer falleris, quia ex mundo retinuisti quod erat pessimum. Religio nihil prodesse potest ei, qui in pace nõ viuit. Non potest autem habere pacem, qui in religione non instituit vitam, secundum institutum & spiritum eiusdem.

DOMINE, ingenuè agnosco contentiones nulla ratione decere religiosum: sed in hac vita tot sunt tricae & controuersia, & homines tam sunt contentiosi, vt qui vicissim non contendat cum ipsis, iure suo sæpè excidat, & panè pedibus ab aliis proculcetur. Fili, melius est sine lite conculcari ab  
homi-

hominibus, quàm contendere & conculcari à dæmonibus. Et quamuis alij omnes cōtenderent, nemo tamen cogere te potest ad contendendum. Et si fortè aliquis velit rixari tecum, dic illi cum Apostolo, *Nos talem consuetudinem non habemus.* Nec enim decerunt media, quibus obtineas, quæ tibi iure debentur. O quàm fallitur religiosus ille, qui quoniam videt pro se stare æquitatem fas sibi esse putat cum alio contendere. Nō est ita. Vt enim fas sit, non deceret tamen eos, qui perfectionem vitæ profitentur, cum ego in mea lege docuerim, ad pacem tuendam, potius esse cedendum, sic profusus, vt conanti tollere tunicam, ne contentioni sit locus, relinquatur & pallium. Licet tamen disputationes instituere, si fiant vel pro defensione veritatis, vel ad ingeniorum excitationem. Licet & lites ciuiles vel Ecclesiasticas aliis intendere, modo id fiat ex iustarum legum præscripto. Solæ illæ contentiones veritæ sunt, quæ cum iustitia pugnant, quæ discordiam pariunt, quæ causam odii præbent: his enim si vtaris planè ostendis te mærare sub signis hostis infernalis, qui dux est omnium dissensionum, & infestissimus pacis ac concordie inimicus.

Ex

Ex praua radice non potest oriri nisi mala arbor, & ex mala arbore non nisi mali fructus. Radix contentionis est superbia. si enim alter alteri cederet, nulla esset pugna, nolle autem cedere, argumentum est superbiæ. Quod si contentioni accedat inuidia, quæ est superbiæ filia, grauius & periculosius nascitur bellum. Sæpenumerò enim vsu venit in cōtentionis ardore, vt quãuis quis se ratione omni destitutum cernat, tamen ab inuidia stimulatus, ne alteri cedat victoriam, certamē mordicus prosequatur. Ac si fortè contingat vtrumq; contendendum præduri esse capitis, vel naturæ impotentioris, vel suæ sententiæ patronos præsesentes habere, vel certè honoris sui amantio-riorem esse, eousq; contentionis flamma aliquando grassatur, vt nullo præsidio extinguï possit, nisi cum exitio ipsorum.

FRUCTVS huius arboris admodum religioni sunt noxij, in qua euellenda si non vigilet, verendum est ne breui multis venenosis fructibus abundet, hoc est odiis, dissidiis, murmurationibus, proditi-  
 bus, vltionibus, aliisque id genus vitiis. Nec erit religio amplius schola virtutum, sed sentina vitiorum, & receptaculum dæmonum, imò ob scandalum secularibus  
 datum

datum



datum erit deterior inferno. Infernus cum sit locus tormentorum, & ærumnis plenus, in quo castigantur peccatores, ad peccandū neminem inducit, sed potius a peccato absterret. At religio, in cuius penetralibus viget discordia & odium, ob scandalum datum inducit seculares ad grauius peccandum. Si enim secularis animaduertat & religiosos inter se contendere, cogitabit multo magis sibi fas esse huiusmodi contentiones prosequi. Quod si verò contingat seculares miscere se religiosorum rixis & altercationibus, iam religio non aliud efficitur, quàm confusionis diabolicæ domicilium. Apostoli mei quoque inter se contende-

*Luc. 9.* runt, quis illorum esset maior; & quanquā  
*Mat. 10.* error illorum non esset grauis, nec damnū aliquod magnum allaturus fuerit Collegio Apostolico, nihilominus declarauī mihi nō parum illam contentionem displicuisse, & adhibita correptione semen discordiæ sustuli, eosq; docui sectari humilitatem, quæ est mater concordiæ. Adhæc sententiam illam metuendam adiunxi. nisi efficiantur sicut paruuli, in regnum cælorum nunquā ingressuros. Fili, si quisquam reperitur amans pacis & vnionis inter religiosos, is sum ego. Et si cui displicent religiosorum diffi-

dia

dia & lites, is in primis sum ego. Atque ideò, vt tranquilla & pacifica in religionibus vita ageretur, præterquam quod illis ademi MEVM, & TVVM, omnis discordiæ fontes, effeci etiam vt omnes eorum constitutiones & regulæ ad fouendam pacem & concordiam dirigerentur. Verùm dæmon profeminavit in iis existimationis propriæ zizania, quæ nisi pedibus conterantur, existunt omnium certaminum & litium seminarium.

*Quemadmodum religiosus gerere se  
debeat in suis tribulationibus.*

## CAPVT X.

**F**ILI, si posses ingredi regnum cælorum sine tribulatione, vel sine aduersitatum in hac vita perpeffione, secundum amoris legem non deberes id optare, quandoquidem ego Dominus tuus illud sum ingressus per viam crucis & tribulationis. Sed & beati omnes, qui nunc summa tranquillitate & gaudio fruuntur in cælo eandem viam tenuerunt. Quare si tu aliam quam tribulationum viam tenere desideras, non peruenies in locum quietis & gaudij, sed laborum & miseria-

D d

miseria-

miseriarum, siquidem certum est, non posse  
 quempiam in terra pariter & in cælo gau-  
 dere. Si tu in hac vita imitator sis diuitis e-  
 pulonis, quomodo cum Lazaro poteris vi-  
 uere in altera? Ego certè qui tribulationi-  
 bus multis probatus, crucem quoque pon-  
 derosam humeris meis deportaui satis de-  
 clarauit, quæ via ad patriam tenenda sit. A-  
 postolus quoque meus satis luculenter ex-  
 posuit, non esse aditum ad regnum cælorum,  
 nisi per multas tribulationes. Vndè ad fili-  
 os Zebedei carissimos meos discipulos, cum  
 optarent, alter ad dexteram, alter ad sini-  
 stram considerare in regno meo, dixi, nescire  
 quid peterent; eò quod primum agendum  
 fuerit de perpeffione tribulationum, ac de-  
 indè de remuneratione? Falleris ergò, si pu-  
 tas tibi aditum patere ad cælum sine cruce,  
 & tribulationibus. Falleris, si existimas sine  
 tolerantia aduersitatum te posse viuere.  
 Falleris inquam, si cogites te in religione  
 posse esse liberum ab omni afflictione. Si  
 externæ tribulationes desint, præsto erunt  
 internæ. Nunquam enim prauæ inclinatio-  
 nes, passiones, & cupiditates inordinatæ  
 hominem quietum, & ab omni cruce im-  
 munem esse sinunt. Ac vt illæ desint, ego ta-  
 men non desistam tibi in salutem & com-  
 modum

modum tuum aliquam afflictionem immittere. Ergò, quoniam certum est, & indubitatum, in hoc exilio non posse vitam sine crucibus, & tribulationibus traduci, cum vita ipsa sit continuata tribulatio, consulto profectò faceret quilibet religiosus, si ex necessitate faceret virtutem, atque accommodaret se ad crucem patienter, fortique animo tolerandam. Labor omnis, quò æquiori animo excipitur, hoc leuiùs toleratur. Quisquis renuit me sequi cum cruce, eum sua crux consequetur.

FILII, quid agis, quod inter afflictiones conquereris, & animum deiicis? Nonnè aduertis te eas reddere acerbiores, & plus te excruciare? Putasnè, quod propter afflictiones, quas toleras vt potes, mihi sis minus carus? Non sum ego similis hominum huius seculi, qui amicos, quando in aliquam calamitatem inciderint, deserunt, immò nonnunquam immitto quibusdam tribulationes, vt illis ad sim iam tribulatis. Certe seruos meos, quo ardentius diligo, hoc magis arguo & castigo, vt accuratiùs expurgentur ab omnibus peccati sordibus, & virtus eorum amplius roboretur, ac roborata aliis demonstretur. Si tibi perspectum esset, in quantis delitiis apud me sit religio-

sus, probus & perfectus, quando in afflictione & ærumna est, mirareris à me illi non immitti grauiorem ærumnam. Ille siquidem in eo statu nullius lucri spiritualis iacturā facit, immò ingentem facit quæstum. suoque exemplo mirificè alios inflammat ad amplectendas libenti animo tribulationes, doni cælestis, & saluberrimi loco reparandas. Quare crebrò contingit, vt pius aliquis & religiosus homo huiusmodi afflictionibus exercitatus, plus possit, quàm multi concionatores. Multò fructuosior est patientia opere ipso demonstrata, quàm in pulpitis de prædicata.

O quanta in gratia apud me est religiosus, qui oborta aliqua afflictione primum eam tanquam peculiarem meum fauorem excipit, & ex corde mihi gratias agit, deinde ex ea conatur aliquem pro anima sua excerpere fructum, implorato auxilio meo, quo eam amore mei fortiter & libenter toleret. Quomodo autem fieri potest, vt tali religioso non suppetias feram? qua ratione non sim illi præsto in tribulatione? cur talem non liberem? non glorificem? Contra, quanto perè mihi displicet, videre religiosum in minima tribulatione ingemiscens, murmurantem, indignantem, haud  
secus

secus ac mihi indixisset bellum? nonnè hæc est luculenta arrogantia? nonnè hoc est gladij aciem, manū apprehendere? Verum est, tribulationem esse gladium, sed is manubrio apprehendendus est nam qui secundum aciem illum apprehenderit lauciatur. Religiosus bonus, qui gladium tribulationis apprehendit secundum manubrium, eò fructuosè vitur in rescindendis imperfectiōibus & superuacuis cupiditatibus, atque etiam in depellendis ab anima sua omnibus hostibus.

FATENDVM est tribulationem esse amarā, sed non est mala. Nec esse potest propriè mala, quoniam à Patre cælesti venit, cuius est bonitas infinita, & conducit ad summum bonum, sicut conduxit omnes beatos nunc in cælo degentes. Quandoquidem ego, filius Dei, nunquam expers fui tribulationis, idcirco non conuenit, vt religiosus eam propter amaritudinem suam refugiat. Qui amore mei semel se spoliavit huius mundi illecebris, in religione sectari debet non sensuum sed animæ voluptatem. Si ego amarum passionis calicē repuliffem, quis tuus, totiusque generis humani status foret?

SUNT nonnulli, qui arbitrantur affli-

D d 3

ctio-

ctiōnem, quam ipsi tolerant, nimiam esse, imò excedere omnes ærumnas & cruces mundi. Et non est ita. imò grauiter me ea opinione sua offendunt, quia fingunt me esse crudelem tyrannum, qui grauiora onera imponam hominibus, quam vires sustinere queant. Non me latet, quantum quisque tolerare possit, scio quoque quid cuique pro sit vel ob sit. Sed ita fit, vt ei, qui vsum nullum habet afflictionis sustinendæ, etiã minima miseria magna fiat & intolerabilis. Et qui non probauit, vel ignorat calamitates aliorum, existimat suas esse maiores.

QVANDO quis in hac vita immunis est ab afflictione, ei que ad votum omnia succedunt, bonum signum non est, quia siue sit iustus, siue peccator, verendum est ne pœnis æternis sit addictus, prosperitas que huius vitæ ei cesserit in remunerationem bonorum quæ hic egit. Quando de ægri vita desperatur, porrigitur ei degustandum, quicquid postularit. At quando quis obnoxius est tribulationibus, bonum est signum. Si enim bonus sit, per tribulationes fit melior, & instar auri, quò plus purgatur, fit perfectior & splendidior. Si verò sit in statu peccati, tribulationibus excitatur vt ad mentem redeat, & miseria sua perspecta  
resipi.

resipiscat. Rebus prosperè fluentibus filius prodigus deseruit Patrem, ac cum fortuna in contrarium se inflexit, sui status calamitatem animaduertens ad Patrem redire coactus est. Sæpè tribulatio parit intelligentiam, vbi prosperitas tollit. Quam multi sunt, qui quoniam nullis premuntur aduersis, aut mei memoriam deposuere, aut parum sunt amantes mei? at vbi vel minimum febriculæ, alteriusuè morbi periculosi tempestatem illis immisero, ilicò accurrunt & clamant. *Domine, salua nos, perimus.* Luc. 15.  
 Necessitas, quæ compellit homines ad me venire, salutaris est, sed a paucis desiderata, quia ignota. Mat. 8.

MULTI sunt infirmi, sed non agnoscunt infirmitatē suam, & vt agnoscant, nesciunt qua medicina sit pellenda. Multi etiā proximī sunt morbis, sed modum eos præcauendi ignorant. Ego sum religiosorum medicus domesticus, & accuratè omnium complexiones cognosco, causas quoque morborum non ignoro, & medicinam omnibus tollendis congruentem facio. Medicina est tribulatio, quæ quo æquiori animo sumitur, hoc ad sanandum est efficacior. Hæc medicina à me præscripta, & cum patientia sumpta, non solùm tollit prauos



morbi effectus, verum etiam, si conuenienter sumatur tollit omnium antecedentium ægritudinum reliquias. Proprium huius antidoti est penetrare ad mali radicem, eamque euellere, quæ est superbia: vnde humiliando sanat, proteruos, iracundos, & terribiles mansuefacit tanquam agnos. Hæc medicina religiosum quemlibet docet, quantos in religione fecerit progressus, quam solidus sit in virtutum studio, & quantum coniunctus sit mecum, creatore suo & redemptore. Denique tribulatio efficit, ut quicquid in anima delitescit, prodeat foras, siue virtus sit, siue vitium.

EST & alia tribulationis proprietas, quod hominem præseruet à malis futuris. Multi sæpè proximi fuere grauissimis lapsibus, sed post immissam à me aliquam calamitatem, reuocati sunt ab illis. Non mihi placet religiosus, qui dolet dum in aliquam ægritudinem lapsus est. deberet enim cogitare non minus apud me donum esse infirmitatem, quam sanitatem. Atque vnde ille scit se mihi melius in sanitate, quam infirmitate seruiturum? Vnde nouit, vtrum illi amplius profit, lecto esse affixum, an vagari hinc inde? Vnde scit, an cum ægritudine grauioribus malis & periculis sit liberandus?

randus? Ac ideò quisque se debet commenda-  
re meæ voluntati, & grato animo ample-  
cti, quicquid præscripsero, nec aliud quære-  
re, quàm fructum aliquem ex tribulationi-  
bus haurire.

FILI, statue aliquid: quia quàm diu du-  
rabit peregrinatio in hac carne mortali,  
subiectus eris tribulationibus. Delige lo-  
cum, quemcunque volueris, in vitæ statum,  
qualem collibuerit, nunquam deerunt ad-  
uerfa donec ad patriam cælestem commi-  
grâris. Scias quoque, cum tribulatio sit me-  
dicina, eam operari secundùm dispositio-  
nem, quam inuenit, ac proinde nunc pro-  
desse, nunc obesse potest. Si eam suscipias  
cum humilitate, patientia & gratiarum a-  
ctione multum proderit. Si contra eam  
amplectaris inuitus, cum indignatione &  
querelis in eum qui immittit, multum ob-  
erit, & afflictionem duplicabit. Illi enim,  
quæ extrinsecus contingit, & sentitur, acce-  
det alia domi nata, & minus animaduerti-  
tur, nempe illa, quam cupiditates inordi-  
natæ in animo gignunt, dum interius ex-  
candescit homo ob tribulationem volun-  
tati suæ repugnantem. Tribulatio, quæ gra-  
uatè suscipitur, non imminuitur, sed potius  
adaugetur.

Dd 5

Sunt

SUNT aliqui, qui cum nequeant conqueri de tribulatione, tanquam de re mala, querelam omnem transferunt in creaturas à quibus illa proficiscitur, & dicunt. Tribulationem non magni facio, sed illud molestè fero, hunc vel illum eius esse autorem, atque si citra meam voluntatem & permissionem alius ab alio possit tribulari. Non est ita. Omnes tribulationes mea ordinatione eueniunt, utorque creaturis, nunc ad quosdam puniendos, nunc ad præbendam aliis merendi occasionem, & virtutem aliquam exercendi. Querela autem eorum non aliundè nascitur, quam quod molestè ferant aduersitates; cum enim pudeat eos id ingenuè confiteri, ne videantur virtute patientiæ aut fortitudinis destituti, conuertunt se in creaturas, & causantur se plus æquo & sine moderatione ab illis exagitari. quod multò peius est. Declarant siquidem se non solum patientia, sed etiam caritate debita vacuos esse.

DIC mihi fili, cur, quando incidis in amicum valdè afflictum, continuè illi suggeris tam multa bona consilia, atque remedia: & tamen si tu eadem vel simili afflictione excrucieris, nullum illorum usurpas? Nosti alius dicere, ut patienter omnia  
ferant,

ferant, vt diuinæ voluntati se conformēt, vt post tribulationem expectent consolationem, Patrem cælestem nullam ærumnā immittere filiis suis, nisi in maius ipsorum commodum. Quando autem in domum tuam diuertit tribulatio, cur non cum patientia eam excipis? cur voluntati diuinæ non te conformas? cur non excerpis ex ea fructum aliquem spirituales? Bonus medicus non est, qui sibi non applicat, quod aliis salutare esse existimat. Id verò deterrimum est, quod in tribulatione indigneris, & dicas. Quid feci? quid, inquam, feci? Admouè manum pectori, & deprehendes te filium Adæ, in peccato conceptum, & non tam innocentem, quàm putes. Rectius igitur facies, si dicas. *Domine, auge dolorem, auge & patientiam. Hic*

*Gre, hic feci. Et in æternum parcas.*

F I N I S.

MOGVNTIÆ,

EXCVDEBAT BALTHASARVS

LIPPIVS.

*Cum Casareo priuilegio & concessu*

*Superiorum.*